

/ Clarissime Domine. Ingenti laetitia me perfuderunt litterae  
tuae, quibus accepisti quam magnum gratiae divinae donum consecutus  
sit. Vere praevenit te Christus in benedictionibus dulcedinis su-  
ae; neque minus donum existimo, quam conversionem ab erroribus et  
5 schismate ad veritatem fidei et Ecclesiae unitatem, lumen illud di-  
vinum, quo tam excellentis gratiae magnitudo cognoscitur: quod lu-  
men esse in te litterae tuae produnt. Ago igitur gratias Deo, qui  
te nobis ex alieno amicum, et fratrem carissimum fecit. Quod si ad  
hoc sanctum opus scripta etiam mea aliquid contulerunt, inde quo-  
10 que gratias ago Deo, qui dignatus sit instrumento tam infirmo ad  
opus tam magnificentum uti; quanquam, ut Apostolus verissime confite-  
tur, neque qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui in-  
crementum dat Deus. Vale, et me, a quo in Christo amaris, vicissim  
ama. Romae die 20 martii 1606.

---

15 Epist. famil. XLVI.